

1524 dum solutionis tempus adesset , grato in foederatum Imperatorem animo numerari mandaverunt .

Dum pecuniae , pediti , equiti , ac reliquis ad bellandum opportunis , ac necessariis rebus comparandis focii incumbunt , Joanni Mediceo Melenianum oppidum cum arce ultro , vi non expectata , in ditionem concessit ; nec multo post Lanodus , Davalus , Mediceus equitum , peditumque robore suffulti Robechum , cui Bajardus cum trecentis levioribus equitibus , ac non parva peditum manu praeerat , nocte intempesta adorti , hostes nil ejusmodi suspicantes , aut cæde affeere , aut armis , equisque ademptis , fugæ se committere compulere . Interim Gauferius ad Abiatum tuto , ac forti loco castra habebat , e quo ad certamen subeundum a nostris nulla , vel vi , vel astu cogeretur , Helvetiorum auxiliis adventantibus ad pugnam laceſſere hostes , aleamque martis experiri tuto posse ratus . Cum interea crebris excursionibus suus miles ferro , incendiis , atque omni calamitatis genere in agros grassaretur , at Cæſareani Germanorum auxiliis aucti cum exercitu , qui cataphractis equitibus mille sexcentis , levioris armaturæ mille quingentis , Hispanorum septem , Germanorum duodecim peditum millibus , Italique mille ac quingentis constabat , Mediolani præſidio quinque Italorum peditum milibus relictis , ad Binascum confedere ; quo Metaurenſium Dux Venetarum copiarum Præfectus cum sexcentis cataphractis , totidem levioribus equitibus , ac sex peditum millibus accessit ; oppidum situ opportunum ad milites continendos ratus , ne ab hoste laceſſiti ad prælium ineundum cogi possent , cum usque ad Ticini fere suburbia protensum , civitatem munitam , firmoque præſidio vallatam pro munimento haberet . Ibi exploratis iis , quæ a Gallis gererentur , cum Gauferium cum octingentis cataphractis , Helvetiis undecim , Italis quatuor , Germanisque duobus millibus adhuc Abiati se continere intellexissent , neque annonæ affluentia , castrorum firmitate , situs natura , aut vi pelli , aut ulla ratione ad munitissimum locum deserendum compelli posse animadverterent ; alias belli ineundas rationes Duces statuunt , ut nempe trans Ticinum amnem copiæ ducerentur : ita hostes commeatu prohiberi , ciuitates , atque oppida , quæ trans Ticinum obtinerent , occupari

Venetarum
copiarum
cum Cæſa-
reanis con-
junctio .